



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Sectio I. De Præcepto quarto Decalogi, receptiores sine pugna sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)

LIBER XXXI. DECALOGI PRÆCEPTVM QVARTVM.

HISTO, Parentum nomine, quos in honore habendos esse præcipitur in quarto Decalogi Præcepto, præcipue qui carnaliter nos genus re debeant intelligi: tamen etiam alij Superiores comprehenduntur: ut Domini respectu seruorum, Prelati erga suos subditos. Principes laici suorum subditorum comparatione, Viri respectu Uxorū, Magistri, & alij huiusmodi Discipulorum, & sibi subditorum respectu. Vnde de obligationibus horum mutuis una, & altera Sectione de more differam.

SECTIO PRIMA.

De Præcepto quarto Decalogi, receptiores sine pugna Sententia.

CAPVT I.

De reuerentia à filiis parenti præstanda, eorumque obligationibus.

1
Explico sen-
sum quarti
Decalogi præ-
cepti.

HIC PROPOSITA PRIMA TABULA PRÆCEPTI, quæ Dei cultum, honorem, ac amorem respiciunt, explicanda sunt Tabulæ secundæ mandata, quæ ad proximi dilectionem pertinent, sumpto exordio ob eo, quod primum tenet locum Exo. 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram.* Honoris nomine in hoc præcepto non solum intelligitur actus interior, vel exterior honorantis, quo honorans testatur, ac indicat reuerentiam, & præminentiam eius, qui honoratur: sed etiam actus, quo patris in necessitate constituto exhibetur auxilium: actus reuerentiæ, amoris, & submissionis, quo ei obediencia præstatur non solum quoad affectum, verum etiam quoad effectum. Nomine autem *Patris* ac *Matris* plura personarum genera intelliguntur, nempe Prelati, Principes, Domini, Mariti, Magistri, & alij huiusmodi. Præceptum verò de honorandis parentibus non solum obligatione filiis, ac subditis cunctis inducit in parētes, & superiores suos, verum etiam parentibus, & superioribus in filios, ac subditos. Verba demum illa, *ut sis longæuus super terram*, non solum de longitudine seu diuturnitate vitæ fatum, sed & de longitudine huius mortalitatis sunt intelligenda, iuxta illud Pauli *Timo. 4. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, &*

futura. D. Thom. 2. 2. quest. 68. art. 3. Sotus libr. 2. de iust. question. 4. artic. 5. Reginal. libr. 20. num. 3. & 5. Nauar. sum. cap. 14. numer. 3. & 5. Sayr. in Clau. libr. 7. capit. 4. Molles. sum. tractat. 2. cap. 18. num. 14. Bonaci tom. 2. d. 6. quest. vni. punct. 1. num. 2.

Profecto filij tenentur parentes amore prosequi, qui amor consistit in odij fuga, quod est præceptum negatiuum: & in expressione signorum amoris, quod est præceptum affirmatiuum obligans ad mandandum parentes saltem cum subest necessitas, qua prudentis viri iudicio amoris signa exhibere teneantur. Vnde grauiter peccat filius, qui parentes odio prosequitur, vel aliquid graue malum animæ vel corporis illis exoptat: v. g. exoptando illis obitum, ut quam primum ineamt hereditatem: & hæc circumstantia odij, vel iniuriæ in parentes, Prelatos, seu superiores in confessione est aperienda. Quia habet malitiam pietati parentibus debitæ oppositam. Reginal. libr. 20. n. 7. & 8. Sayr. in Clau. libr. 7. c. 5. n. 7. Fill. tr. 28. n. 3. p. 1. Nau. sum. c. 14. n. 11. Tol. l. 5. c. 1.

Tenentur in spirituali necessitate parentibus subuenire. Vnde peccat mortaliter filius, si non curat, ut in mortis articulo se confessione munit: si prohibeat pia legata facere pro animi salute: & sit eorum voluntatem à gerenda restitutione auertat. Reginal. libr. 20. num. 9. Fill. tractat. 18. part. 2. num. 3.

Tenentur eis reuerentiam exhibere, non solum externam, quæ verbis, & aliis signis exhibetur: verum etiam internam, quæ geritur per filiale submissionem velut subditi ad Superiorem. Hinc grauiter delinquit filij, qui parentes animo deliberato verbis contumeliosis ad notabilem prouocant iracundiam: & qui in eos verba iactant, quæ sunt ex se grauis iræ excitatiua, etiam si illi re ipsa indignatione

Sec. I. De Precepto IV. Recept. Sent. 233

dignatione non afficiantur. Et qui parentem percutiunt, quamvis sit percussio levis: quia in communi hominum estimatione gravis iniuria reputatur. Et si manum eleuet ad percutiendum cum sufficienti deliberatione. Et qui designantur parentem agnoscere, maledictaque in parentem vinum aut mortuum iactat. Verum à mortali exculcare filium, qui exterius solum simularet parentem non agnoscere ex causa iusta v.gr. si parens sit infamis, proditor, vel hæreticus. Syluest. v. Filij, q. 22. Molfel. sum. tr. 2. cap. 18. num. 52. Sayr. in Clauis, p. 1. l. 2. cap. 56. n. 6. Azor. tom. 1. l. 2. cap. 56. n. 6. Tolet. l. 5. c. 1. n. 9. Bonac. to. 2. d. 6. uni. pun. 2.

8 Tenetur patri obedire in iis, in quibus est illi subiectus: v.gr. in iis, quæ ad domesticam pertinent gubernationem, (modo res sit gravis) & ad bonos mores, animique salutem, vt in prauis amicitijs vitandis, in meretricibus, ludis prohibitis &c. fugiendis. Quia filius iure naturæ subditus est parentibus quoad domesticam gubernationem, & instructionem morum. Vnde si paterna bona disperset sine patris licentia mortaliter delinquit, etiam si vnicus sit hæres. Porro in his rebus, in quibus non subest patri, non peccat, si non obedit: v.gr. in rebus malis, & iniustis, in electione status perfectioris sine de clericatu, suæ de Religionis ingressu. Imò in materia matrimonij non tenetur semper filius patri obedire. In duplici autem casu Scio mortaliter delinquere: scilicet, si contra patris voluntatem contrahat cum aliqua indigna, seu notabiliter inferioris status: vel si dignam ducat, adest tamen aliqua necessitas in familia, vt iuxta patris contrahat voluntatem. Sayr. Clauis l. 7. cap. 5. num. 9. 10. & 11. Reginal. l. 20. n. 6. 17. Bonac. to. 2. d. 6. q. uni. pun. 4. Manu. sum. p. 1. c. 14. n. 2. Nauar. sum. c. 14. n. 15.

6 Tenetur corporali parentum necessitati occurrere quantum potest. Vnde grauius peccat, qui parentes ægotantes non inuist, vel eorum sanitati non consulit, vel in carcere detentos, aut captos mente liberari non curat, vel in magna necessitate constitutis non succurrit: etiam si parentes alioquin possent sibi per aliquam artem sui statui indecentem subuenire: secus si possent per artem quæ non sit suo statui decori adiuuari. D. Tho. 2. 2. q. 125. a. 5. Tolet. l. 5. cap. 1. Filliuc. tr. 28. p. 2. num. 3. Sayr. l. 7. cap. 5. num. 25.

7 Non potest filius Religionem inire patre, aut matre ad egestatem extremam, aut grauem redactis. Quia præceptum consilio est præferendum: sed eis debet subuenire, modo hæc concurrant conditiones: Vt paupertas sit præsens. Vt necessitas sit extrema, vel gravis: quæ talis dicitur, dum parentes possent quidem sine ope filij vivere, sed cum notabili iactura status, vt mendicando, vel famulando alijs. Vt filius remanendo in sæculo possit illiusmodi necessitati de præsentis succurrere & ingrediendo non valeat. Vt non sit alius, qui possit, ac velit subuenire. Vt filius remanendo non sit in graui ac probabili peccandi lethali periculo, à quo per Religionis ingressum liberetur. D. Tho. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 2. Nauar. sum. c. 14. n. 13. Sayr. in Clauis, l. 7. c. 6. Syluest. v. Religio, 2. q. 7. Bonac. to. 2. d. 6. q. uni. pun. 5. n. 4.

8 Filius professus tenetur egredi Religionem, etiam Prælato inuito, cum parentum necessitas Eschob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

est extrema: si verisimile est eum posse egrediendo illis subuenire. Si verò necessitas tantum sit gravis & parentes in ea egestate versabantur, quando ingressus fuit filius, teneretur etiam egredi: quia huiusmodi debitum præcessit Religionis ingressum. Si autem non erat, sed post filij ingressum accidit: tunc tantum tenetur pro viribus perseverando in suo statu, eis subuenire: quamvis posset etiam licite permissu Superiorum egredi. Sanch. l. 4. sum. cap. 20. num. 14. Tolet. l. 5. cap. 1. num. 6. Nauar. sum. cap. 14. n. 14. Manu. p. 1. c. 6. n. 4.

9 Porro si filius professus è Religionem egressus ad subueniendum parentibus, suæ Religionis debet habitum gestare. Et dum manet in sæculo, debet obseruare non solum essentialia Religionis, sed etiam maiores Regulae obseruationes, nempe ieiunia, aut alia prout poterit. Præterea tenetur reuerti, quamprimum parentes ab illa extrema necessitate subleuauerit: & differens subuenire ex industria, vt diutius moretur in sæculo, non est in conscientia turis. Imò tenetur redire, quancumque influx fuerit à Prælato, oblati necessariis pro necessitatibus parentum subleuatione. Sayr. l. 7. c. 6. a. n. 19. Reginal. l. 20. n. 3. Filliuc. tr. 28. p. 2. n. 10.

Tenetur adimplere, cum primum poterit, parentum circa debita & legata testamenta. Nam ea sine causa iusta differre, peccatū est lethale. Nauar. sum. c. 14. n. 16. Filliuc. tr. 28. p. 2. n. 5.

11 Filius quidem à patria potestate liberatur, per patris mortem, per professionem Religionis filij aut patris, per promotionem ipsius ad Episcopatum: aut quando pater perpetuo fit exul, ac deportatus est, aut quando fit hæreticus, aut exponit filium infantem vel languidum, aut, alio ipsum exponente, consentit, aut id ratum habet: aut quando filius emancipatur à patre coram Iudice competente, aut quando pater nuptias incestas contrahit, aut si captus bello iusto, aut seruus sit: imò alicubi, quando filius matrimonium contrahit. Reginal. l. 20. n. 23. Sayr. l. 7. c. 6. n. 23.



CAPVT II.

De Parentum erga filios obligatione.

12 PARENTVM obligationes erga filios ad sex capita possunt reuocari. Debent subministrare eis necessaria ad vitam, si possint: & contrariò gerentes lethaliter delinquant. Tenentur eos non transmittere ad hospitalium domos, nec eos exponere in publicis, vel priuatis, nisi in extrema aut graui necessitate. Obligantur eos bonis moribus per se, vel per alios instituere, atque corrigere. Non possunt eos diuendere absque iusta causa, qualis esset, aut propria mortis, aut ipsorum euitandæ, in casu, quo semetipsos parètes ipsi licite diuendere valent. Tenentur eos à seruitute liberare, vel quia capti fuerunt in bello, vel quia à patre ex aliqua serua fuere progeniti. Debent eis studij operam dare volentibus providere, dummodo parentes possint, & studium sit eorum conueniens status, filijque in eo progressum efficiant. Vnde peccant parentes,

V 3 tes,

tes, si absque rationabili causa filios à progref-
su in bono seuocent, & impediunt: verbi gra-
tia, si impediunt eorum vota, quæ bona paren-
tum vota fecerunt; si ab ingressu Religionis
absque iusta causa remouent: si post emissum
continentiæ votum in ætate deliberandi vi, aut
dolo ab impletione retrahunt, vel consulunt,
aut cogunt matrimonium impeditos vota con-
trahere: si absque iusta causa inuitum filium,
aut filiam coniugio colligant: si inuitam filiam,
nisi in casibus iure permixtis ad Monasterij in-
gressum, vel susceptionem habitus, vel profes-
sionem gerendam cogunt: in quo ultimo casu
per Tridentinum, *sess. 25. c. 18.* excommunican-
tur. Item si patiantur, filias amatores habere ob
malum finem, vel eas à consorcio malo non
curant reuocare. *Nauiar. sum. c. 14. n. 7. Filliuc.
tr. 28 p. 2. n. 21. Tolet. l. 5. c. 1. Tabie. verb. Filius,
§. 19. & alij communiter.*

13
Possunt in
quinque cas-
bus filius ali-
menta deneg-
gare.

Possunt parentes in quinque his casibus fi-
liis alimenta denegare: si patrem accusent ex-
tra casus à iure concessos. Si ipsimet alimentis
egeant ad propriam vitam sustentandam. Si fi-
lij ingratitude excellant. Si arte illi habeant,
aut aliquod aliud munus, quo iuxta statum suum
possint alimenta acquirere. Si aliquid gerant
eorum, ob quæ legitimè possunt à parentibus
priuari hereditate. *Syluest. v. Filius, n. 24. An-
gel. ibi, num. 21. Filliuc. tract. 28. part. 2. num. 25.*

14
Ad quæ præ-
cipue pater
tenetur.

Porro tria præcipue, & generatim pater præ-
stare tenetur. Primum est, providere filiis in fu-
turum, quantum honestè possit, habita circum-
stantiarum particularium ratione. Secundum,
non potest sine iusta causa eos exheredare.
Tertium, tenetur dotare filias etiam spurias;
quia dos est loco alimentorum. Si autem pater
ob inopiam non possit, mater tenetur. *D. Tho.
2. 2. q. 101. art. 2. Nauiar. sum. cap. 14. num. 17.*



CAPVT III.

De mutua Herorum Famulorumque
obligatione.

15
Quid gene-
ratim herus
circa famu-
lum, & famu-
lus circa he-
rum præstare
tenentur.



RATI præstare tenentur famuli he-
ris suis: honorem, reuerentiam, &
obsequium. Herus vicissim tria de-
bet famulo, honestam quoad ve-
stitum, victum, & habitaculum su-
stentationem: institutionem in rebus fidei, &
Christiane Religionis, si Christianus sit seruus:
correctionem fraternam, ne vitiosus euadat.
*Syluest. Angel. Armil. v. Familia. Azor. tom. 2.
l. 2. cap. 38. quæst. 1. & omnes.*

16
Famulus à
seruo, & ope-
ratio differt.

Certe Famulus dicitur ille, qui stipendio, &
mercede se ipsum locat ad tempus in heri ob-
sequium. Differt autem à seruo, & operatio, eo
quod seruus sui iuris nō sit, & soleat à domino
em: operarius verò locat tantum suas operas
ad genus certum operis, cum famulus locet se
ipsum ad seruendum, & obsequium præstan-
dum prout opus fuerit. *Azor. tom. 2. libr. 2. c. 39.
quæst. 1. Reginal. libr. 20. num. 57.*

17
Famulo labo-
ranti fideliter
soluendum
stipendium
solum.

Famulo fideliter laboranti debet herus sol-
uere stipendium iustum. Quia dignus est mer-
cenarius mercede sua. Si verò fideliter non la-
borauerit, sattem infra operis debiti latitudi-

nem non debetur ei stipendium. Imò is famu-
lus ad restitutionem tenetur non solum pro
rata laboris omisi, quatenus non peruenit ad
latitudinem infimi laboris iusti; sed etiam ad
interesse, si forte aliquod detrimentum, vel lu-
crum cessans subsecutum est domino condu-
ctori. Quia Famulus fuit iniusta illius causa.
Casu autem, quo famulus expellere, vel tacite
contentus sit minimo pretio, aut aliquo oble-
quio: ad id solum tenebitur conductor. Quia
famulus potuit uti iure suo, consentiendo li-
bere in minus stipendium, quam alioquin me-
reatur. *Nauiar. sum. cap. 17. num. 108. Angel. v. L. o-
catio, num. 15. Syluest. ibid. q. 12. Reginal. libr. 25.
num. 5. 1. Bonac. de contract. d. 3. q. 7. pun. 14. n. 2.*

Censetur iustum famuli stipendium, quod
passim eo loco huiusmodi ministerio solet ad-
dici, ita ut non sit minus infirmo, nec maius
summo, quod dari consuevit. Vnde si famulus
sue operæ mercedem exigit maiorem summa,
vel si conductor det minorem infima dñi con-
suetudini iuriam gerit, & ad restitutionem tene-
tur mercedem ad proximos pretij iusti limites
reducendo. In dubio autem, num stipendium
sit infra infimum, non potest famulus uti com-
pensatione, de rebus domini subtrahendo. At
in duplici casu stipendium potest esse infra in-
fimum. Primo si conductor non egeat opera
alterius, sed solum ex misericordia ad preces ip-
sius ipsum conducit. Secundò, si famulus spon-
tè non petat iustum stipendium, ut dominus il-
li Beneficium, (v. gr.) iuræ officium procuret, si-
uè ut illius conciliet amicitiam. Vsq. *opus de
restit. c. 5. dub. 10. num. 56. Reginal. l. 25. n. 52.
Moli. tract. 1. d. 506. Lessi. libr. 2. cap. 24. dub. 4.
Layman. libr. 3. tractat. 3. part. 1. cap. 1. num. 10.*

Equidem qui tradunt solummodo pueris vi-
ctum pro eorum opera, excusantur. Quia com-
muni estimatione hoc reputatur iustum stipen-
dium leuis puerilis operæ. Dominus tamē pec-
cat, & ad restitutionem tenetur damni, quan-
do puerum, vel famulum paruo conduxit ita, ut
hæc condicione, ut permitteret ipsi litis, vel
arti operam dare, sed postea non potest. Quia
non censetur famulo iustum dare stipendium,
& contra conuentionem agit. *Azor. tom. 3. l. 8.
c. 13. q. 2. & 3. Rebel. l. 14. q. 13. n. 1.*

Famulo, qui alicui seruit nulla certa mer-
cede constituta, si obsequia præstet, quæ com-
muniter solent, certa assignata mercede præ-
stari, soluenda est merces iusta in ea regione
consuetura pro iisdem ministeriis, quantumvis
id arbitrio domini reliquerit. Satisfaciet tamen
dominus tradendo pretium infimum. Quia in-
fimum intra latitudinem iusti stipendij
continetur. *Lessi. l. 2. c. 24. dub. 4. n. 25. Valq. de
restit. cap. 5. dub. 10. num. 57. Reginal. libr. 25.
num. 554.*

Herus expellens domo famulum, nondum
elapso termino constituto, tenetur ad integram
mercedis solutionem, nisi forte ex grauissima
causa ad eum pellendum adducatur. Quia pro
conductor tenetur pensionem soluere, quando
non est usus re conductæ ob culpam & impe-
dimentum ipsius conductoris. Si verò famulus
ante perfectum tempus seruitij discedat, to-
tam mercedem non amittit, sed secluso pacto,
haud est deneganda ei merces ad ratam tem-
poris præteriti, in quo suam præstitit operam
pretio æstimabilem. Tenetur tamen famulus
ad

18

Quodam
modo
famuli
censentur.

19

Qui tradit
seruum
puerum pro
victu
excusatur.

20

Famulo ser-
uitus, nulla
certa consti-
tuta mercede
est soluenda.

21

Expellens do-
mo famulum,
nondum elap-
so tempore ser-
uitus, ad
mercedem
tenetur.


Secl. I. De Precepto IV. Recept. Sent. 235

ad refarciendū damni domino: unde dominus potest, famulo ad ratam damni stipendium denegare. Azor. to. 3. lib. 8. cap. 14. quest. 1. Rebel. l. 1. 4. quest. 13. num. 10. Diana punct. 3. tract. 6. resol. 5. & 16. Bonac. de contr. d. 3. quest. 7. punct. 4. num. 12.

22. Conuentione, vel consuetudine præcisa, famulo in infirmitate existenti non est soluenda merces pro tempore, quo in ægritudine detinetur. Quia dominus non tenetur soluere pensionem, quando non vititur re conducta ob locatoris defectum. Nec tenetur dominus ex iustitia suis expensis sua in domo curare famulum si tamen in extrema, vel graui esset necessitate ex Charitate teneretur ei subuenire. Recuperata autem valetudine, & elapso termino seruicij, non tenetur famulus in famulatu persistere, quo illud tempus, quo ægrotauit refarciat: nec tenetur dominus admittere in hoc casu seruicium famuli volentis tempus elapsum refarcire, quamdiu in infirmitate extitit. Quia famulandi onus precisè fuit temporis in contractu præscripti, quo transacto, in tempus sequens onus non remanet. Azor. tom. 2. lib. 2. cap. 39. Nauarra de rest. l. 2. cap. 2. num. 213. Reginal. libr. 25. numer. 517. Sa verb. conditio, numer. 5. Diana de contr. p. 1. resol. 86. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 28.

23. Delinquit herus non soluens famulo stipendium in qua conuenit, sed in alia: verbi gratia, qui loco pecunie tradit triticum, pannos, vel alias merces pretio certo, quas famulo vendidit viliori. Quia verò dominus in hoc casu minus soluit, quam debet, ad restitutionem proculdubio tenetur. Nauarra sum. cap. 17. num. 111. Valq. de restit. cap. 5. dub. 10. n. 63. Bonac. de contr. d. 3. quest. 7. punct. 4. num. 15.

24. Grauius famulus delinquit, dum non obedit domino in magni momenti rebus; vt si dehitum illi honorem non deferat, ipsum contemnendo; aut si cum fraude patrata lædatur: nec impedit pro viribus, ne dominus in persona, aut in rebus damnum patiat. Non tenetur tamen eius vitam cum propriæ vitæ periculo defendere, nisi ad defensionem vitæ domini specialiter conducatur: tunc enim id negligendo, contra iustitiam plane delinquit. Diana p. 3. tract. 6. resol. 58. Sayr. in Clauis, libr. 7. cap. 7. num. 12. Reginal. lib. 20. num. 63. Laym. l. 3. tract. 3. p. 1. cap. 3. num. 5.



CAPVT IV.

De mutua Prælati Ecclesiastici ac Clerici subditi obligatione.

25. Clerici erga Prælatum obligationes. CLERICI erga Prælatum ad multa tenentur. Certe in actibus internis non tenentur obedire, neque in malis etiam venialiter. In dubio de peccato, præcipienti Præsuli tenetur obedire: debet autem Prælati voluntas subdito esse denunciata. Tenetur autem in pertinentibus ad clericalem statum obtemperare: in quibus ab obedientia resilire, si res sit grauis, lethale est piaculum. At si Episcopus Clerico præcipiat, vel alteri suum resignet Beneficium, obedire non tenetur, nisi

iusta adesset causa: verbi gratia si esset ineptus & Episcopus veller tradere idoneo. D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 1. Filliuc. tr. 28. num. 9.

Tenetur præterea beneficiarius subsidium charitativum contribuere, nempe quandam pecunie vel rei æquivalentis elargitionem in quibuldam casibus erga Episcopos, vel alios superiores. Et quamvis dicatur Charitativum, potest tamen Episcopus subditos ad id soluendum compellere. Licet enim à principio petebatur ex Charitate, postea, adiuuante iure, ex certis causis, etià potest ex iustitia peti. Iustæ verò illud exigendi quatuor solent enumerari. Solutio debitorum, quæ Episcopus contraxit pro tuendo Ecclesiæ suæ iure. Si magnas fecerit expensas in totius Diocesis negotiis. Empio rei alicuius magni momenti, ad suam Ecclesiam conseruandam. Inter faciem ad Papam, vel Imperatorem, vel Regem ob Ecclesiæ necessitates. Azor. p. 2. lib. 9. c. 14. Filliuc. tract. 28. num. 9.

Episcopi vicissim ad multa tenentur erga subditos. Inprimis quidem ad residentiam, ad quam receptus est, iure diuino teneri: ad breue tamen tempus ex causa abesse possunt. Iustæ verò cause absentiae sunt Christiana Charitas, id est proximorum utilitas. Vigens necessitas vitæ scilicet corporalis, vel morbi periculosi. Debita obedientia Ecclesiæ utilitas vel propriæ, vel vniuersalis. Utilitas Reipublicæ. Certe mortale peccatum est, Episcopum absque legitima causa non residere: & toto tempore, quo non residet, omnes integros redditus pro rata amittit ipso facto, absque alia declaratione, fabricæ quidem Ecclesiæ, vel pauperibus impertiendos. Trid. sess. 23. cap. 1. Tolet. lib. 5. cap. 4. num. 1. & omnes.

28. Debet esse irreprehensibilis, vt nullo ex capite subditis scandalum, sed virtutum exhibeat exemplar. Per se debet concionari, non per alium, nisi legitime sit impeditus. Annis singulis debet Diocesanam Synodum conuocare in qua de rebus ad Diocesim pertinentibus disserat. Quotannis debet totam Diocesim, vel maiorem eius partem visitare: quod per Vicarium gerendum est si iuste ipse fuerit impeditus. Debet confirmationis, ac Ordinis Sacramenta ministrare. Tenetur probos constituere Ministros, tam ad internum, quam ad externum forum: & circa hoc deficere ex ignorantia crassa, aut ex malitia graue est peccatum. Trident. sess. 5. cap. 4. sess. 24. c. 1. & 3. Bonac. tom. 2. d. 6. q. vii. pun. 8. num. 5. Reginal. l. 2. num. 69. Calet. v. Episcopus.

Episcopatum deserere non potest absque summi Præsulis licentia. Si autem videt, se munus suum implere non posse, sed non implendo delinquere, seu graue scandalum subditis exhibere, tenetur quidem Episcopatum relinquere, petita tamen facultate. cap. Nisi cum pridem, de renunciat. volumine vltimo, integer redibit tractatus, cum de statu Ecclesiastico disseruerimus.

CAPVT V.

De mutuis laici Principis eiusque
subditorum obligatio-
nibus.

30
Subditi erga
Principem
quatuor obli-
gationes.



QUATVOR sunt principia
subditi erga suum Principem obli-
gationes. Prima, vt in rebus ho-
nestis, & iustis ei subiciatur: vn-
de debet leges honestas, & iustas
acceptare. Secunda, vt cogi possit à Principe,
vel Republica, ad aliquid agendum, vel vitan-
dum etiam cum periculo vitae, vel cum poena
mortis. Quia Princeps habet ius conseruandi
bonum commune, ad quod praedicta ali-
quando sunt necessaria. Tertia, vt teneatur legi-
bus obedire etiam civilibus sub graui piaculo:
quae autem haec sunt, *Volum. 1. in materia de le-
gibus expressi.* Quarta, vt teneatur suum Prin-
cipem ab hostibus defendere, ac pro eo, si opus
sit, vitam profunderet. *Filliuc. tract. 28. p. 2. n. 112.*
& alij communiter.

31
Obligatio va-
salli circa ve-
ligationem.

Potest vasallus debet vectigalia soluere: imò
negas gabellas, si iustae sint. Si non petantur, se-
clusa fraude, non debentur. Soluentes penam
non tenentur ad gabellam; tenentur tamen,
quando in conscientia eorum id relinqueretur.
Potest non solui, quando certo scitur, non im-
pendi gabellam in rem, ob quam est imposita.
In dubio autem de iustitia pro principe est praes-
sumendum, & soluenda etiam infideli. *Filliuc. tract. 28. part. 2. nu. 113.* & alij communiter.

32
In multis te-
netur Prin-
ceps virisim
erga subditos.

Principes saeculares vicissim tenentur in mul-
tis erga suos subditos. Vnde octo annumeran-
tur laici Superioris propriae virtutes: Religio in
Deum Clementia, & mansuetudo. Liberalitas,
Iustitia, Fortitudo, praesertim bellica. Prudentia
rerum agendarum, Magnificencia in Templis
extruendis, erigendis Academiis, &c. & Magna-
nimitas. *Nauar. sum. cap. 25. à num. 1. Filliuc. tr. 28. part. 2. num. 125. Azor. 10. 2. libr. 11. c. 6.*

33
Decem Prin-
cipis peccata.

Verum Principum peccata ad decem pos-
sunt reduci. Peccant in immodica regnandi li-
bidine. In indicendo iniusto bello. In socordia,
& negligentia circa artium munitionem, vnde
populi pax, & securitas pender. In non reficien-
do publicas vias, ac custodiendas, vnde salus
viatorum periclitatur. In non subueniendis pau-
peribus, & miserabilibus personis graua in-
commoda ex inopia sustententibus. In non tol-
lendis prauis ac noxiis consuetudinibus vsura-
rum, contractuum lege naturali, vel Ecclesiasti-
ca prohibitorum, ludorum, aut spectaculorum
cum delictorum lethalium mortali periculo. In
imponendo tributa iniqua, vel antiqua sine
causa augendo, vel cogendo subditos ad extru-
das proprias domos, mercede non adhibita. Si
iniquas leges concedant. Si Ecclesiastica iura si-
bi abrogent. Si cogant per vim, vel fraudem
subditos facere sibi donationes: & tunc ad resti-
tutionem tenentur. Si leges condant in suum
priuatum commodum. Si cogant subditos ad
certa matrimonia contrahenda, vel à contra-
hendis impendant. *Nauar. sum. cap. 25. à num. 1. Filliuc. tract. 28. p. 2. n. 125. Azor. 10. 2. l. 11. cap. 6.*

CAPVT VI.

De mutua serui, & domini obli-
gatione.



SERVORVM genera multa sunt:
communes autem eorum obliga-
tiones ac praecipue debitum do-
minis honorem deferre, obe-
dientiam praestare in licitis, & ho-
nestis, res domini conseruare, in agitudine ei
procurare Sacramenta, si alij ex familia praes-
tantes non curent: à malis imminetibus
tutari. *Filliuc. tract. 28. part. 1. à num. 68.*

Capiti iniusto bello fugere possunt, non au-
tem qui se in seruos vendideret. Iusto autem ca-
pti bello, etiam fugere ad suos possunt, absque
vitamen, aut fidei datae deceptione. Capti apud
infideles, etiam possunt fugere, & iis dari ad fu-
gam consilium: accipere etiam à Turcis vel alij
Christiani nominis hostibus possunt ad fugam
necessaria. Habere possunt peculium suum mo-
bilibus, vel immobilibus constans. Abique do-
mini consensu inutilis est serui donatio. Et do-
mino magis seruendum, quam uxori, si eo in-
stio, eam duxerit: Secus si sciente. In iis, quae
contra naturae sit ius vel contra diuinam praece-
pta, parere non debent. *Filliuc. tr. 28. p. 1. à n. 52.*

Domini vicissim tria debet seruo, honestam
sustentationem, institutionem in rebus fidei,
& coreptionem fraternali. Olim Romanis li-
cebat seruos occidere, nunc sublata talis est po-
testas: si tamen occideret mancipium Dominus
nihil illi deberet, nec si mutilaret. In quibus-
dam casibus nec etiam vendere licet. Alimenta
subtrahere non potest in totum. Ex contractu
aliquando seruo obligatur: & ex delicto iusti
eius commissio tenetur. Civilis actio esse potest
in quibusdam casibus *Filliuc. tract. 28. part. 1. à num. 68.* Alibi vberior sermo recurret.



CAPVT VII.

De obligatione viri ad uxorem, &
uxoris ad virum.



Viri erga uxorem obligatio.
Non potest eam in diuinis
praeceptis impedire in huma-
nis verò iusta de causa potest.
Non potest eam grauius, &
multo minus atrociter percu-
tere. Quia non est serua, sed sociata moderatè
castigare iuxta culpam habita ratione personae
conditione, & status matrimonij iure potest.
Tenetur eam iniuria minime afficere: sed po-
test moderatè verbis corripere, non tamen con-
tumeliosis. Tenetur domus gubernationem
quantum ad rem ac mores attendere. Tenetur
cum ista cohabitare: nec potest absque iusta
causa longo tempore abesse, iusta autem causa
esset alicuius momenti negotium, superioris
obedientia, inimicitiae vitandae, exilium. Na-
uar.

Sect. I. De Præcepto IV Recept Sent 237

uar. su. c. 14. n. 19. Sayr. in Clauis. l. 7. c. 7. n. 7. Tolet. lib. 5. c. 1. Filiuc. tract. 28. p. 1. a. num. 1. 9. Laym. l. 5. tract. 1. o. p. 2. c. 2. num. 6.

38 Obligatio uxoris erga virum.
Vxoris autem erga virum obligationes adnoto. Præter obedientiam debitam in redditione coniugalibus actus, tenetur etiam in iis, quæ pertinent ad bonos mores, & familiæ gubernationem obtemperare: ita ut nolle viro obedire in materia graui præcipiente, ut velle, præcepto viro, independentem gubernare, sit lethale peccatum. In rixis cum viro peccare potest, si eum in blasphemias sua morositate in rixam prorumpere faciat: vel si ex contemptu ei debitam submissionem non præstet, dum præceptum est iustum. Tenetur vxor sequi virum, quo velit eam ducere, ut ibi cohabitent, quinque exceptis casibus: si mortis periculum immineret, si peccati mortalis subesset periculum, si ipsa esset ancilla, si vir vagus esset, & ita post matrimonium factus. Si in coniugio pactum interuenerit, non mutandi locum, si tamen casus vigens mutandi contingeret, non obstante pacto, maritum sequi tenetur. Tolet. l. 5. c. 2. Nauar. sum. c. 14. num. 20. Syluest. v. vxor. q. 8. Filiuc. tract. 28. p. 1. num. 144. Sayr. in Clauis. l. 7. cap. 7. n. 10.

CAPVT VII.

De mutuis Magistri ac Discipuli obligationibus.

41 Obligatio discipuli erga magistrum.
DISCIPULI erga Magistros honorem, & reuerentiam debent. In rebus pertinentibus ad bonos mores eis, sicut parentibus, tenentur obedire. Debent diligenter studiis vacare: in quo possunt aliqua-

do grauitur delinquere ratione damni familiæ hanc ob causam illati. Pecunia a parentibus tradita debet expendere iuxta Magistrorum, quorum curæ commissi sunt, voluntatem, in res videlicet honestas. Vnde in his delinquere possunt, nempe si ob finem mortalem studeant, vel sine iusta causa, si Academia statuta ad lethale obligantia non seruent, si suffragentur indigno, aut curent alium indignum suffragari, si scientias veritas, aut superstitiones ediscant, si contra veritatem a se cognitam altercationes excitent non disputandi gratia, & maxime si id cum scandalo fiat. Si demum cum possint, stipendium Præceptorum non soluam. Nauar. sum. cap. 2. §. nu. 59. Filiuc. tract. 28. p. 1. num. 149. & 150.

Iam verò obligatione Magistri erga discipulos annotari. Tenetur non dissimulare discipulorum crimina, sed corripere, ubi fuerit opus. Debet adhibere studium, ut discipuli in literis promoueantur: & curam eorum gerere in rebus ad mores attinentibus, & honestam educationem. Vnde cauere debet, ne animæ noxia documenta tradat: quæ essent, contra Fidem, aut bonos mores: aut ne falsa velut vera doceant ex industria. Quia hoc esset proculdubio mortale, sicut etiam, si auerteret scholasticos auditores ab aliis Doctoribus cum eorum iniuria, aut auditorum damno. Tenetur præterea stipendia iusto maiora non exigere. Nec se ad docendum exponere, si se non agnoscat idoneum. Debet item se discipulorum capui accommodare. Et non denegare dignis Doctoratus insignia, aut indigno concedere. Peccaret enim mortaliter præsertim in Theologia, iure Canonico, Ciuili, & Medicina. Filiuc. tract. 28. p. 2. a. n. 151. Nauar. sum. cap. 5. numer. 55. Caiet. sum. v. Magistrorum peccata.

39 Magistri erga discipulum obligatio.

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto quarto Decalogi, Problemata.

CAPVT VIII.

Circa mutuam parentum, ac filiorum obligationem.

PROBL. I.

Parens, exponens filium, quando eum alere potest, tenetur & non tenetur ad restitutionem.

40 Ceterum suppono.
SUPPONO, grauitur contra ius naturale delinquere parentem, qui cum filios legitimos vel sparios alere possit eos exponit in Templis, aut biuiis, aut ad inuas hospitaliū, aut in locis publicis, vel secre-

tis: & teneri ad restitutionem pro educatione loco illi, cui exposuit, & munus educandi suscepit. Quæ quidem restitutio gerenda est pro eo tempore, quo aliis filius inseruire non poterat. Quia postea inserviundo aliis sibi victum poterat comparare. Tolet. lib. 5. cap. 1. num. 9. Nauar. sum. cap. 14. numer. 17. Ceterum sunt nonnullæ vrbes, ut mea Vallisolerana, & aliæ plures in Hispania, & in reliquis Regnis Christianicis, quæ habent bona aliqua publica ex prouentibus secularium reddituum, ad puerorum expositorum educationem applicata. De his dubitari, an parens filium, quem alere poterat, ad restitutionem teneatur?

Non tenetur. Quia illa bona ad hunc finem communi omnium ciuium consensu sunt ad dicta, & vnusquisque ciuis suam habet portionem in huiusmodi bonis. Sic nonnulli quos, presso nomine memorat Pagündez. 82. citadus.

Tenetur quidem. Quia licet ea bona communi ciuium consensu ad hunc finem sint applicata

42 Non tenetur.

43 Tenetur placata.